

Iupiter inferior Venere sit, & in sinistro Veneris quadrato, forniciatorem dico, ille
cebris mulierum, qui saepe fallatur, corporis ornamenta inquirens, qui si quid gaudij
suscepit mutata conditione illa, semper gaudia infringet.

Iouis Tetragonus ad Mercurium, si Iupiter in dextro superior illo fuerit, nati
sapientiam indicat, qui sortilegia sectabitur, Geometriam, Arithmeticam, & Astro
logiam discet, bona erit uitæ, & plurima ex aliorum munificentia suscipiet. Si uero
Mercurius superior in dextro quadrati fuerit, multiplicabitur in seruis, bonum illi
erit, & sua virtute dignitatem aliquam consequetur.

Iouis quadratus ad Lunam, si Iupiter in dextro superior fuerit, & sit natale no-
sternum, natus erit boni nominis, & famæ, & honoratus. Si uero Luna superior fu-
erit, multa decernit fœlicitatis insignia, magnis Ducibus, & Regibus notum sem-
per commendat. Sed haec fœlicitas non semper perseuerat. Nam interdum patri-
monij damna minatur, interdum minuit dignitatis insignia, & damna minatur, pi-
grosq; indicat natos.

Mars ad quadratum Solis, si Sol superior fuerit, multa mala decernit, substan-
tiam dissipat, affert infortnnum, uisum obscurat. At si Mars superior sit, peiora iudi-
cato. Sed in genitura diurna haec fortius conualescunt, præsertim si iste aspectus fue-
rit ascendentí minaci radiatione coniunctus. Nam si Mars in occasu positus, uel
in decima lumen Lunæ crescentis exceperit, tunc publica animaduersione plecte-
tur. Idem in nocturna faciet genitura.

Martis quadratura ad Venerem, si Mars in decima fuerit, mulierum causa labo-
res adducit. Si signum Martis mobile fuerit, erit natus instabilis in rebus agendis,
ducet degenerem, uel meretricem. In natali fœminarū, indicat meretrices, si uero Ve-
nus in decima fuerit, ex his actibus uerécundiam habebit, & cœlabit quæ mala con-
scientia perpetrauerat, & abscondet quidquid libidinibus nefarijs fecerat.

Mars & Mercurius quadrati, si Mars in dextro superior fuerit omnium ma-
lierum causa erit talis configuratio, natum inpugnat, & aduersas indicat ualetudines,
custodijs, aut carceri mancipat, horrendarum accusationum infligit discrimina, quæ
mala fortiora sient in diurna genitura, in nocturna autem ex parte aliqua mitigan-
tur. Si uero Mercurius superior fuerit, malos, maliciosos, callidos dico, pessima
mentis cupiditate armatos, simulatores, & dissimulatores, alienæ natos custodiæ tra-
dit carceri, raptores, solliciti, semper stationem quærentes, & cuius pestiferos mor-
sus infligant, omne patrimonium, & eorum substantiam sua praua cupiditate quæ-
rentes.

Martis quadratus ad Lunam, si Mars in dextro superior fuerit, matri uiduita-
tem minatur, uel eam debilitatis viribus fluxu sanguinis perimit, natus uero debilis
uitæ erit, & paruæ substancialiæ, eritq; hoc mendicitatis, & malæ mortis indicium. Si
Mars in termino Saturni fuerit, & Luna in terminis Mercurij uel Martis, eius ani-
ma dum in corpore fuerit, malignis spiritibus dominandi tribuit potestatem. Si
uero Luna superior fuerit, ignobiles reddit, laboriosos, & suarum facultatum de-
structores, & ad nihil idoneos, matrem ostendit abiecti generis, & inter alias cala-
mitates malas, & superbas decernit uxores.

Solis Tetragonus ad Lunam, si sit in angulo, Sol in quoquis quadrato dat digni-
tates, & honores, & officij alicuius potestatem, si benevolæ uiderint eos stellæ, haec
maiora erunt. Si uero infelices stellæ aspicerint, uitæ discrimina, & gaudia infortu-
niorum decernit. Si tamen in talis statu Luna feratur luminibus plena ad Iouem, aut
Iupiter coniunctionem Lunæ crescentis exceperit, nobilitatis insignia maxima cum
inuidia decernit. Si autem fuerit Iouis salutari præsidio destituta, fortius maleuola-
sum crescet improbitas.

Aa iiij Veneris